

## 1425, 1<sup>er</sup> novembre – Aversa.

*Louis III, fils unique, héritier et successeur de Jeanne II pour son royaume de Sicile, duc de Calabre et d'Anjou, etc., nomme le comte Baldassare della Ratta capitaine à vie de Seminara<sup>1</sup>, avec 20 onces de carlins d'argent et une provision annuelle de 100 onces de carlins d'argent, à recevoir également par les héritiers sur les recettes de Seminara et Bisignano<sup>2</sup>.*

- A. Original non retrouvé, signé par le duc (*per manus nostri Ludovici*) et scellé du sceau plaqué de l'anneau royal et du grand sceau en cire rouge (d'après B).
- B. *Vidimus* sur parchemin par *Rencellus Catalunus*, juge aux contrats de Sicile, et *Nicolaus Craparius*, notaire, en date du 30 décembre 1425, **non vu**. Rome, Fondazione Camillo Caetani, Archivio Caetani, C-1425.XI.1 (prec. 2880).
- a. *Regesta Chartarum. Regesto delle pergamene dell'archivio Caetani*, IV, Caetani Gelasio (ed.), San Casciano Val di Pesa, 1929, p. 62-65, n°2880 [ouvrage numérisé].

Ludovicus tertius, Johanne secunde, Hungarie, Jerusalem, Sicilie etc. regine, filius unicus suusque in regno Sicilie heres et successor, Calabrie et Andegavie dux comitatuumque Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedimontis comes, Balthasar de la Ractha, comiti Caserte, Alesani etc., reginali materno atque nostro consiliario fideli. Regie gratitudinis in examine revolentes tue devotionis merita et fidelia obsequia, que nobis prestitisti et prestare non desinis, nec minus de fide, prudentia et legalitate tua confidentes, sperantesque quod ita pollulabis in bonis operibus quod fama de te celebris, ut fuit actenus, per ora omnium erit aliis imitationis exemplum, hiis et aliis imminentibus etiam serviciis pro te nobis hucusque prestitis queve prestare non desinis, nullis persone tue parcendo periculis, laboribus et expensis et alias in serviorum recompensationem, non habentes habilitatem tibi in bonis stabilibus providendi, te capitaneum terre Semminarie, de provincia Calabrie ulterioris, eiusque pertinentiarum et distriptus, ad vitam tuam, cum meri et mixti imperii, ac gladii potestate et iurisdictione omnimoda, quolibet alio capitaneo dicte terre per nos ordinato ab inde amoto, ac officio et potestate gubernatoris seu vicesgerentis nostri ducatus Calabrie in ipsa terra eiusque pertinentiis et distriptu quiescente, cum numero gentis equestris et pedestris in ipso capitanie officio solito retineri et cum potestate serviendi in dicto capitanie officio per locumtenentem seu substitutum tuum ydoneum ipsumque amovendi, nec minus in eodem capitanie officio iudicem et actorum notarium assumendi fideles nostros, de quorum defectibus et excessibus tu principaliter nostre curie tenearis, cum gagis unciarum viginti de carlenis argenti super pecunia proventuum per te aut tuos locumtenentes legitime acquirendorum, necnon provisionem annuam unciarum centum de carlenis argenti, imperpetuum, in feudum, tibi et heredibus tuis, dumtaxat maribus ex tuo corpore legitimate descendantibus, solvendam tibi et tuis heredibus maribus annis singulis

---

1. Seminara, Calabre, Italie.  
2. Bisignano, Calabre, Italie.

vel donec tibi aliquam castellaniam cum capitania dederimus cum simili provisione seu gagiis, aut alias in bonis stabilibus condigne provideremus, cum nostri nobis assistentis deliberatione consilii, duximus ordinandum, recepto prius a te fidelitatis et de officio ipso exercendo iuramento, ac dictam annuam provisionem unciarum centum in feudum perpetuo donamus. Fidelitati tue mandamus quatenus, ad terram Semminarie te personaliter conferens, vel tuum locumtenentem mittens, sic inibi capitaneie officium cures exercere, singulis ministrando seu ministrare faciendo iusticiam neminemque gravando aut relevando iniuste, necnon ecclesias et miserabiles personas, pupillos et bieuas<sup>(a)</sup>, quod te de amministratione ipsius iusticie, in qua iura communia, constitutiones et capitula pro regni status reformatione composita<sup>(b)</sup>, sine transgressione servabis, processus lucidi comprobent et opera laudanda commendent<sup>(c)</sup>. Ecclesiarum prelatos requirimus, baiulis, iudicibus et hominibus terre Semminarie suique distriptus iniungimus ut tibi, tamquam terre ipsius capitaneo seu dicto tuo locumtenenti obedient, penas et bagna quas et que tam tu quam tui locumtenentes duxeris aut duxerint inponenda, rata gerentes easque et ea a transgressoribus exigi volumus pro parte nostre curie; et ut servicia et obsequia per te nobis impensa irremunerata non transeant in ipsorum recompensationem, et ne etiam tam tu quam tuus locumtenens ac iudex et actorum notarius necnon scutiferi, equites servientes et pedites, in dicto capitaneie officio ad libitum retinendi, propriis sumptibus laborare cogamini, gagia, ut predicitur, unciarum viginti, necnon tibi et tuis heredibus maribus provisionem unciarum centum in feudum, ut predicitur, per annum percipiendam super pecunia collectarum et fiscalium functionum infrascriptarum terrarum, videlicet Semminarie et Bisignani, modo qui sequitur et in duobus terminis annualibus, videlicet medietatem dicte provisionis unciarum centum, que medietas sunt uncie quinquaginta, in festo Resurrectionis dominice proxime futuro, et alias uncias quinquaginta primo die mensis octobris inde immediate sequenti; quam perceptionem provisionis hoc modo fieri iubemus, scilicet quod tu et tui heredes ipsam medietatem provisionis percepire debeas, pro primo termino, in proximo futuro festo Resurrectionis dominice super collectis, nobis et nostre curie debitis per universitates et homines terre Semminarie et tere Bisignani, videlicet ab universitate qualibet uncias viginti quinque et, pro secundo termino, scilicet in primo die octobris immediate sequenti, aliam medietatem provisionis iam dicte, scilicet a qualibet ipsarum universitatibus, uncias viginti quinque de eadem pecunia dictarum terrarum et deinde in antea in tribus terminis, scilicet anno quolibet, de quatuor mensibus in quatuor menses, terciam partem dicte provisionis ab eisdem universitatibus super dictis collectis, sic quod singulis quatuor mensibus exigas ab eisdem uncias triginta tres, tarenos decem, incipiendo pro secundo anno a die primo novembris quinte indictionis primo futuri, et deinde in antea terminis et solutionibus similibus, sic quod semper infra annum sit tibi de centum unciis, in tribus terminis et tribus solutionibus, integraliter satisfactum, donec aliter tibi de equivalenti et condigno excambio providerimus, per te vel tuum locumtenentem percipere et ab eisdem universitatibus et hominibus prefatarum terrarum exigere et retinere; et in earumdem collectarum defectu, super iuribus, redditibus et proventibus fundici et cabelle baiulationis, et aliis iuribus et introytibus terarum predictarum seu alterius earum, sine contradictione percipere valeas; dantes tibi et tuis heredibus masculis potestatem quod ipsam pecuniam collectarum, per ipsas universitates et homines annis

et vicibus singulis nobis et nostre curie debitarum et debendarum, per manus sindicorum dictarum terrarum, et in earumdem collectarum defectu pecuniam iurium, fructuum, reddituum et proventuum cabelle baiulationis et fundici et omnes alios introytus nostros fiscales dictarum terrarum, usque videlicet ad summam unciarum centum, per manus baiulorum et aliorum in dictis terris ad receptionem dictarum pecuniarum institutorum, reliquo pluri nostre curie remanente, et per nostros erarios et secretos exigendo, possis recipere per manus tui comitis vel tui locumtenentis et non per manus gubernatoris seu vicesgerentis nostri ducatus Calabrie vel thesaurariorum, vice thesaurariorum, secretorum, erariorum, magistrorum camere, commissariorum et aliorum nostrorum officialium dicti ducatus, set ab eisdem sindicis et baiulis recolligere et percipere illamque tibi tantum summam unciarum centum in terminis suprascriptis provisionis iam dicte integre detinere; insuper omnes collectas dictarum terrarum et iura baiulationis, in earumdem collectarum defectu, usque ad dictam summam provisionis iam dicte recolligere seu recolligi facere terminis et solutionibus predictis; et de solventibus pecuniam ipsam apodixas facere seu fieri facere valeas, seu tui heredes, locumtenens vel substituti valeant; aliaque omnia pro administratione officii supradicti facere possis et tui heredes facere possint que necessaria videbuntur ac opportuna, ita quod tu comes et heredes tui provisionem huiusmodi immediate et in capite a nostra cura possideatis, nullumque alium preter nos in nostro ducatu Calabrie, post domine et matris nostre fata, in superiorem et dominum recognoscatis, servireque nostre curie teneamini de feudali servicio debito, iusta statutum et ordinationem in hoc materno regno Sicilie habitam, quod servicium tu, in presencia nostra constitutus, pro te et tuis heredibus masculis, prestare nobis et curie nostre obtulisti ac te obligasti; investientes te de nostra provisionis concessione per presencium traditionem. Georgio de Almania, militi, comiti Pulicini, locumtenenti et gubernatori nostri ducatus Calabrie, vel eius locumtenantibus, vicesgerentibus quoque ducatus ipsius, capitaneis terrarum, thesaurariis seu vice thesaurariis, secretis, vice secretis, erariis, magistris camere, commissariis, dohaneriis, cabellotis seu credinceris, ac baiulis seu magistris iuratis et sindicis, necnon universitatibus et hominibus prefatarum terrarum et aliis nostris officialibus, et eorum locatenentibus, damus in mandatis quatenus dicti officiales, forma presentium nostrarum litterarum attenta et observata, a predictis omnibus desistant, seque de illis usque ad perceptionem integrum provisionis iam dicte, nec de dicto capitanie officio nullatenus intromittant, quinimo integrum provisionem unciarum centum ab eisdem universitatibus et hominibus et in terminis predictis super collectis et iuribus prescriptis, officiales per te vel tuum locumtenentem percipi permittant nichilque in contrarium agere presumant, sicut habent gratiam nostram coram, immo tibi et tuis locatenentibus ac aliis supradictis assistant et faveant; ipsique universitates et homines terrarum Seminarie et Bisignani necnon sindici, baiuli, magistri iurati et alii officiales tibi et aliis tui parte dictam pecuniam collectarum, secundum quod taxate terre ipse periuntur, necnon, in defectum pecunie dictarum collectarum, iura, fructus, redditus et proventus cabelle baiulationis et fundici dictarum terrarum et omnes alios introytus fiscales dictarum terrarum nostre curie debenda solvere, prout superius declaratur, debent, recepturi vicibus singulis a te, tuis locumtenantibus vel substitutis prefatisque tuis heredibus, de hiis que solverint, apodixas, et nichilominus dicta omnia exequi permittant,

quoniam sic residet menti nostre. Presentes litteras magno nostro pendenti sigillo munitas tibi duximus concedendas quas, pro validiori robore, dedimus et subscrisimus propria manu nostra. Datum Averse per manus nostri Ludovici, die primo mensis novembris, quarte indictionis, anno millesimo quadragesimo vicesimo quinto.

<sup>(a)</sup>biduas] *sic a*, viduas?

<sup>(b)</sup>composita] *sic a pro* composita.

<sup>(c)</sup>commendent] *sic a pro* commendent.

---

Édition : Olivier Mattéoni et Jean-Damien Généro.

Ce document PDF a été compilé en juillet 2024 dans le cadre du programme de recherche public « Actes princiers au royaume de France (XIV<sup>e</sup>-XVI<sup>e</sup> siècle) », porté par le Laboratoire de médiévistique occidentale de Paris (UMR 8589 CNRS-Université Paris 1 Panthéon-Sorbonne) sous la direction scientifique d’Olivier Mattéoni, professeur des universités (Paris 1), et dont les partenaires sont le Laboratoire d’Excellence « Histoire et anthropologie des savoirs, des techniques et des croyances »(LabEx hastec), le Centre Jean Mabillon (EA 3634/ École nationale des chartes), le Centre de recherches historiques (UMR 8558/ CNRS-EHESS) et les Archives nationales de France. La transcription et l’appareil critique du présent acte sont mis à disposition sous [Licence Ouverte V 2.0](#).

Pour plus d’information, consultez le site Actes princiers ([actesprinciers.huma-num.fr](http://actesprinciers.huma-num.fr)).